

A. 89/5.

Yc  
4950

I V S S T A T V T A R I V M  
L I P S I E N S E

C I R C A

T V T E L A M A E T A T I S.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIACENSIS

D I S S E R T A T I O P R I M A

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S A V C T O R I T A T E

P R O

S Y M M I S I N V T R O Q V E I V R E  
H O N O R I B V S

C O N S E Q V E N D I S

D I E X X I I . A P R . A N . C I D I O C C L X X I X .

P R O P O N I T

C A R O L V S G O D O F R E D V S W O L F  
L I P S I E N S I S .

I . V . B A C C . E T A D V . S A X . I M M A T R .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .





1857

1857

REVUE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES

1857

DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES



DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES

DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES

DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES

DE LA SOCIÉTÉ DES BIBLIOPHILES





V I R I S  
MAGNIFICIS, SVMMEREVERENDO,  
ILLVSTRIBVS,  
D. CAROLO GVILIELMO  
M V L L E R O  
SERENISSIMI ELECTORIS  
INTIMO IN REBVS BELLICIS CONSILIARIO,  
COLLEGII SCABINORVM ASSESSORI, CIVITATIS  
LIPSIENSIS CONSVLII HOC TEMPORE REGENTI,  
ATQVE BIBLIOTHECAE SENATVS  
ANTISTITI,



ET

D. CHRISTIANO GVILIELMO  
K V S T N E R O

DYNASTAE IN PAVNSDORFF,

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS  
INTIMO IN REBVS FISCI CONSILIARIO, CAPITVLI  
WVRCENSIS DECANO, SVPREMAE IN PROVINCIA  
CVRIAE, CONSISTORII ECCLESIASTICI ET  
SCABINORVM COLLEGII ASSESSORI, CIVITATIS  
LIPSIENSIS CONSVLI PRIMARIO, ET SCHOLAE  
THOMANAE ANTISTITI.



D. P. 2

NEC NON

**D. CAROLO GODOFREDO  
WINCKLERO**

POTENTISSIMI DVCIS SAXONVM ELECTORIS  
IN IVDICIO PROVOCATIONVM A CONSILIIIS,  
COLLEGII SCABINORVM ASSESSORI, CIVITATIS  
LIPSIENSIS CONSVLI, ET TEMPLI AC  
SCHOLAE S. NICOLAI ANTISTITI

IVRE CONSVLTIS EXCELLENTISSIMIS,  
PATRONIS PIE DEVENERANDIS  
NOMINVM VESTRVM SACRVM!

CAROLVS GODOFREDVS WINCKLERVS





S. P. D.

**V**alde ad VOS pertinet hic liber, quem  
ILLVSTRIBVS NOMINIBVS  
VESTRIS inscribere sum ausus. VOS

enim hac in vrbe, quae me nasci, educari, et bonis artibus  
informari vidit, quam nunc etiam delegi fortunarum  
mearum sedem, ii estis, quos ceteri omnes, et ego ma-  
xime omnium et magni facio et amans veneror, et  
summa obseruantia colendos mihi statuo. Non potui ab  
ingenio et doctrina hunc libellum commendabilem red-  
dere: sed mihi carissimus erit, si eius argumentum  
VOBIS probabitur, et si mihi viam affectanti ad  
PATROCINIVM VESTRVM consequendum,  
eam patefecerit.

Deus VOS ciuitati nostrae, cuius praesidia et  
decora estis, quam diutissime praesse velit! Scripsi Li-  
psiae d. d. XXII. Apr. CICIICCLXXIX.

NOMINVM VESTRORVM ILLVSTRIVM

cultor deuotus  
CAROLVS GODOFREDVS WOLF.



# CONSPECTVS.

*Praefatio;*

## SECTIO I. *de Fontibus iuris tutelaris Lipsiensis;*

Membrum I. *de Legibus tutelaribus uniuersalibus in Saxonia;*

§. I. *Leges peregrinae.*

1) *Ius romanum Iustinianeuum.*

2) *Recessus Imperii.*

§. II. *Leges patriae.*

1) *Speculum Saxon. et Ius Weichb. Magdeb.*

2) *Constitut. Decisiones, et Resol. Grau.*

3) *Ordinat. Process. recogn.*

§. III. *Ordinatio tutelaris in usum terrarum Saxonicarum adhuc desideratur.*

Membrum II. *de Legibus tutelaribus ciuitati nostrae Lipsiensi propriis.*

§. IV. *Mores ac consuetudines.*

§. V. *Ius Scriptum generatim;*

1) *Statuta od. Willkühr.*


2) *Ordinat. Mercat.*

§. VI. *Ordinatio tutelaris Lipsf.*

## SECTIO II. *de Collegio tutelari Lipsiae constituto Vormundschafts-Stube;*

Membrum





Membrum I. de Historia huius iudicii.

§. VII. *Suprema magistratuum tutela.*

§. VIII. *Origo collegii tutelaris Lipsiensis.*

Membrum II. de Indole ac natura huius collegii.

§. IX. *Deputatorum numerus;*

§. X. *Deputatorum qualitas.*

§. XI. *Deputatorum constitutio.*

§. XII. *Deputatorum conuentus.*

Membrum III. de Vi atque potestate huius collegii.

§. XIII. *Personae quas obstringit;*

*rat. pupillorum.*

*rat. tutorum.*

§. XIV. *Causae, quas tractat;*

*excipiuntur: 1) constitutio et confirmatio tut.*

*2) de habitate eorum inquisitio et poena.*

*3) apothecae datio et liberatio.*

*4) omnes causae grauiiores.*

Membrum IV. de officio Deputatorum.

§. XV. *Officium eorum in genere.*

§. XVI. *in specie silentium.*

Membrum V. de Emolumentis Deputatorum.

§. XVII. *Immunitas ab obligatione.*

§. XVIII. *Salarium.*

§. XIX. *Conclusio.*



Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.

HORATIUS.

Cum esset libellus a nobis conscribendus, quem in publica disputatione defenderemus, circumspeximus diu argumentum eiusmodi, quod et ingenii nostri imbecillitati accommodatum esset, nec indignum plane videretur hominum eruditorum lectione, quorum examini libellum subiicere oporteret. Haud sine deerant in tanto iurium tum peregrinorum, tum domesticorum cumulo, quae satis amplam experiendae nostrae quantulaecunque doctrinae materiam nobis suppeditare possent. At idem nobis accidit, quod

*Cum videt ex omni parte viator iter,  
ei solet accidere:*


*Stat, et incertus qua sit sibi nescit eundum.*

Plurimae nobis caussae occurrebant, ex iure romano petitae, atque in fori nostri usum receptae, quae propter virorum doctorum inter se discrepantium autoritatem du-

B

biae,





biae, controuersaeque adhuc essent: quarum aliquam animus primo erat suscipere vberius interpretandam, si forte possemus rem eo deducere, vt controuersia tolleretur. Sed cum reputarem, iuuenem scriptorem magis decere in aliorum sententiis cognoscendis ac perpendendis versari, quam nouarum constitueudarum auctoritatem sibi arrogare, neque debere quenuquam ad arduas quaestiones forenses explicandas accedere, nisi qui esset diu in foro exercitatus, et multo iudiciorum vsu instructus: ea potissimum ex causa illud consilium relinquendum et abiiciendum esse statuimus. Atque ibi nos monuit patriae amor, vt omissis iuribus peregrinis, ad ea, quae domestica, et patriae propria sunt, rediremus, atque inde argumentum scribendi fumeremus. Nam

*Nescio qua natale solum dulcedine captos*

*Ducit, et immemores non sinit esse sui, —*

praesertim quando in patria et multi sunt amici, et magnis laudibus excellentes viri. *Mouemur enim* \*), vt Cicero ait, *nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia.* Tum etiam ipsa commemoratio earum laudum, quibus ciuitas patria splendet, voluptatem habet maximam, quod nobis illarum tanquam socii et participes esse videmur.

— Vnum autem praeclarissimum ciuitatis nostrae institutum illud est, quod est de Tutela Aetatis. Id igitur placet

\*) de Legg. II. 2.



placet exponere, vt et municipalium iurium nostrorum praestantiam, et Maiorum, qui ea condiderunt, prudentiam hoc exemplo demonstremus, atque aliis cognoscendam praebeamus.

Neque vero totius doctrinae huius de Tutela Aetatis principia generalia, circa quae iura romana et germanica occupantur, per hanc occasionem putamus etiam ipsa explicanda esse: id quod est actum agere, et argumentum iam a multis aliis tractatum denuo repetere: Sed in eo manebimus, vt primum notabilia quaedam circa *iura tutelaria* huius nostrae ciuitatis *propria* tum circa *Collegium tutelare*, quod Lipsiae constitutum est, memoremus: deinde vt ea in quibus ius nostrum statutarium aut a iuri communi recessit, et nouum quiddam ac singulare introduxit, aut supplendi alicuius defectus causa iuri communi addidit recenseamus.

— Quae quidem scriptio nostra, etsi nullam commendationem habet, neque ab orationis elegantia, quam nos praesertim in tali argumento consecrari non potuimus; neque a copia doctrinae, quam haud licuit nobis ex subsidiariorum necessariorum vsu colligere, quod ea recondita seruantur in magistratuum scriniis, ad quae non pater omnibus aditus: conscii tamen sumus nobis tantae adhibitae diligentiae, vt aequorum lectorum benigna iudicia omnino sperare posse videamur.




  
S E C T I O I.

## DE FONTIBVS IVRIS TVTELARIS LIPSIENSIS.

## M E M B R V M I.

*De Legibus tutelaribus vniuersalibus in Saxonia;*

## §. I.

*Leges peregrinae;*

1) *Ius Rom.*  
*Iustin.*

— Priusquam progrediamur ad examinanda ipsa iura circa rem tutelarem constituta, fontes, ex quibus illa proflexerunt, nobis erunt iudagandi. Cum vero omne ius, quo utimur in Saxonia, aut sit *receptum*, aut *constitutum*; de utroque nobis dicendum est. Ad illud primo loco referimus *Ius romanum Iustinianicum*. Hoc enim, quod in tota nostra Germania valet in subsidium ita ut in causis controuersis decidendis, deficiente iure recentiori ac proprio semper ad id recurratur, etiam quoad Tutelam aetatis vim atque auctoritatem adhuc habet, quatenus consuetudinibus patriis, aut legibus diserte in contrarium latis non repugnat. Itaque in rationibus decidendi, quae Scabino- rum nostrorum ac Facultatis Iuridicae Sententiis adiectae sunt, multas e legibus iuris romani petitas, et in ipsis iuribus prouincialibus ac statutariis multa iuris romani circa tutelam aetatis capita expresse recepta et confirmata deprehendere licet. Id quod infra ipso iure statutorio in examen vocato, et cum legibus Romanorum comparato facillime



lime et luculenter apparebit. *Recessus Imperii Romano Germanici* multa quoque continent praecepta rem tutelarem spectantia: quo pertinet ille insignis de omnium tutorum confirmatione a magistratibus observanda, locus. C. f. *Reformat. guter Policey zu Augspurg. d. a. 1548; tit. 31; — und Policey Ordnung zu Frankfurth. d. a. 1577. — tit. 32. von der Pupillen und Minderjährigen Kinder Tutorn und Vormündern.*

## §. II.

*Leges patriae.*

Haec de iure recepto. Ad constitutum quod attinet, <sup>1) *Specul. Saxon. et Ius Scab. Magdeb.*</sup> *Ius Municipale Magdeburgicum*, quae referuntur merito etiam ipsa inter fontes iuris tutelaris, quippe quae speciatim de tutela patris et agnatorum varia disposuerunt; e. g. *lib. I. art. XI. Speculum Saconicum* de patre tutore ita ait:

*Heldet auch der Vater seine Kindere in Vormundschaft nach irer muter tode. — Daz selbe soll daz Wib des Vaters Kinderen tun ab ir vater stirbet. und ichlich man der Kindere Vormund ist. — et lib. I. art. 23. — Swar die Sune binnen iren jaren sin, ir eldere ebeneburtige Swerimac nimt daz herwete alleine, und ist der Kindere vormunde daran — etc.*

*Ius Magdeburg. art. XLIX. edit. vulg. Stirbt ein mann der Kinder*



Kinder hat, die zu ihren Jahren nicht kommen sint; —  
 etc.; et multis adhuc locis talia constituta legimus;

2) *Const.* — In iure Saxonico recentiori quaedam *Constitutiones* et *Deci-*  
*Decif. El. et* *siones Electorales*; et *Resolutio Grauum*. Christiani II. d. a.  
*Grau. Resol.* *CIIDCCXII.* habent item nonnulla de tutelis capita. Quo spectat

*Constitutio XI. Part. II.* — „Ob die Verordnung derer Säch-  
 sischen Rechte, dass die Vormünder ihrer Mündlein näch-  
 sten Erben jährlich rechnung thun sollen nicht allein in le-  
 gitimis sondern auch testamentariis und dativis statt haben  
 solle.

*Decif. XXXIV. — XXXV.* Ob eines unmündigen Creditor,  
 wenn er bey Antrittung der Vormundschaft seine Schuld-  
 foderung der Obrigkeit nicht anmeldet, derselben verlustig  
 sey: — *Dec. XXXVI.* Ob ein Vormund seine Rechnung  
 nirgends anders als an den Ort wo er si veraltet, abzule-  
 gen schuldig. *Dec. LXII.* — Ob der Mutter und Groß-  
 Mutter wegen der Vormundschaft die Fruchtniesung aus  
 derer Kindere Güter gebühret; et alibi;

3) *Ordin. Pr.* Sed non vltimum profecto locum inter fontes tutelaris iuris  
*Nec.* generiores obtinet *Ordinatio Processus Saxonica* Recognita,  
 a Friderico Augusto d. an. *CIIDCCXXIV.* proposita, quae  
 in fori ac iudiciorum vsum recepta est: vbi de officio tuto-  
 rum caussas pupillares in foro ventilantium multa sunt con-  
 stituta; vt ad tit. I. §. II. et ad tit. XIII. §. 4. de Iuramento  
 a Minorennibus praestando; ad tit. IV. §. 2. quomodo ci-  
 tantur



tantur pupilli; ad tit. XLV. §. 1. de hypotheca pupillorum  
in bonis tutorum.

§. III.

*Ordinatio tutelarıs in usum terrarum Saxonicarum adhuc  
desideratur.*

Sed omnes hae leges, quae iam a nobis sunt addu-  
ctae, rem tutelarem non ex instituto et principaliter tra-  
ctant, talis enim lex adhuc desideratur: Sed eam tantum  
attingunt. De peculiari enim Ordinatione tutelari, cuius  
generalis in tota Saxonia usus esset, diu quidem in comitiis  
provincialibus cogitatum est: id quod probant *Land und Aus-  
schofs Tags Acten* d. an. MDCCCXVI. Vol. I. — fol. 291. et  
592.: — item d. an. MDCCCXVII. fol. 12. et 734. sq. ubi  
exstat: *ein Projectt zur Vormundschafts-Ordnung, für die unter  
der Lands Regierung, Hof-Gerichten, Ober und Nieder Consisto-  
rien gehörige Pupillen* —. Nec non promissam eam legi-  
mus in *Ordinat. Process. Recogn.* ad Art. XLV. §. 1. — cuius  
haec verba sunt:

*Wie hiervon allenthalben in der Vormundschafts Ordnung  
ausführliche Vernehmung geschehen soll;*  
et item legimus: *in der Tax Ordnung No. XI. so lange, bis  
bey der künftigen zu publicirenden Vormundschafts Ord-  
nung deshalb ein anderes verordnet werden wird.*

Ac nouissime in Conciliis Dresdenfibus d. an. MDCCCLXIII  
et MDCCCLXVI, de qua re conf. *Contin. Cod. Aug. T. I.*





p. 78. et 132. notio motu suscitata haec quaestio est. Sed nondum ea res habuit successum, quoniam de plerisque capitibus inter partes non conuenerat.

## MEMBRVM II.

*De Legibus tutelaribus ciuitati nostrae Lipsiensi propriis.*

### §. IV.

*Mores ac consuetudines.*

Propius nunc accedimus ad specialiores iuris tutelaris fontes; Primum horum ponimus mores Lipsienses, qui ius tutelare non scriptum constituunt, et qui ex libris memorialibus, quos scrinia magistratus reseruant, plerumque cognoscuntur. Huc pertinet prima et antiqua Deputatorum et Notariorum tutelarium ad hoc collegium constitutorum, instructio, typis haud impressa, sed in libro, qui dicitur, *das grüne Buch*, fol. 9. seq. memoriae tradita. Continet uero hic liber varias collegii nostri tutelaris ac singulares obseruantias, a uiris Senatoriis ipsis nonnunquam congregatas, et de anno ad annum huic volumini insertas. Exstant in eodem libro etiam variae Resolutiones Senatus atque Mandata, ius tutelare propius determinantia, ut d. 1x. Febr. — d. vi. Iul. — d. x. Aug. an. CIDIOXCVI. — d. a. CIDIOCCXXIII. d. a. CIDIOCCXXXIV. — d. iv. Maii CIDIOCCXXXIX. — d. XIII. Sept. CIDIOCL. — et alia, quae sequitur Senatus in causis controuersis circa rem tutelarem obue-



obuenientibus, et quibus nos in conscribendo hocce libello ex sententia vti haud potuisse admodum lugemus.

§. V.

*Ius Scriptum generatim.*

Sed etiam scripto iure, circa tutelam minorum constituto, vitur ciuitas nostra, quod partim ex instituto hancrem definit, partim in transitu tantum singularia quaedam circa eam introducit. Ad genus posterius pertinent *Statuta Lipsiensia*, quae proprie sic dicuntur, quae in Volumine singulari, quod an. MDCCCL editum et inscriptum est: *der Stadt Leipzig Ordnungen und Privilegia*, sub titulo: *die Leipziger Statuta oder Willkühr* pag. 291. continentur; quae Statuta quotannis quando nouus Senatus in conspectum producitur, publice recitari solent. Paucissima tamen erunt, quae in his ad minorum tutelam spectantia reperiatur, si ea exceperis, quae in §. XXVI. XXVII. XXVIII. et XXVIII. de parentibus liberorum suorum tutoribus legitimis, ad secundas nuptias transeuntibus, respectu bonorum diuidendarum traduntur.

*Wann ein Mann, dem sein Weib stirbet, und Kinder nach ihr verlässet, etc.*

Iam *Ordinatio Mercatoria*, quae ab Ioanne Georgio III. Electore ciuitati nostrae an. MDCCCLXXII, fuit concessa, etiam attingit nonnulla iuris tutelarum momenta,

C

§pho





Spho IX. ubi agitur de actore concedendo tutoribus, qui pupillorum nomine debent in iudicio mercatorio comparere. Verba haec sunt: §. IX. von den Vormunden.

*Wann ein Vormund, von wegen seiner Unmündigen vor diesen Gericht zu thun hat, kann er solches durch einen Actorem verrichten etc.*

### §. VI.

#### *Ordinatio tutelarum Lipsiensis speciatim.*

Maxime autem huc pertinet *Ordinatio tutelarum Lipsiensis*; *Die Leipziger Vormundschafft-Ordnung*. Cum enim propter infinitas pupillarum, qui se a tutoribus laesos putarent, querelas orirentur in dies nouae inter utrosque lites: Senatus Lipsiensis adiit Principem Electorem, eique hanc Ordinationem peculiarem in quam omnia, quae circa tutelam aetatis in hoc vel illo iure vnquam sancita fuerant, congesta, et ea magis illustrata atque aucta essent, confirmandam proposuit, ut in posterum haberent ius certum ac proprium, quo in rebus tutelaribus vterentur. Itaque intercedente Friderici Guilielmi Administratoris consensu ac confirmatione prodiit et publicata est an CIDIDXCIV. d. XXV. Aug. Torgaviae. Sed intuitu eorum, qui tunc temporis actu iam tutelae fungebantur, ea Ordinatio vim atque auctoritatem legis post bimestre demum spatium accepit: id quod legimus in ipsa Ordinatione §. XXXV.

*Diueiſn*



*Die weiln auch vor dieser Ordnung viel Vormünder be-  
stätigt worden, oder sonstn sich der Verwaltung unmündiger  
Kinder Güter unternommen haben; So sollen dieselben sich  
innerhalb zweyer Monats Frist nach Publication dieser  
Ordnung bey unsern zu den Vormundschafften Deputirten  
angeben etc.*

Qua lege huius Ordinationis cum obligari se non putarent  
ii, quorum pupilli quidem Senatus iurisdictioni essent im-  
mediate subiecti, sed qui tamen ipsi non haberent Senatum  
iudicem suum atque ordinarium; cumque adeo rationes  
annuas collegio ad res tutelares exercendas delegato red-  
dere, et reliqua officia debita ei praestare denegarent: Se-  
natus, quod ea re bonis ac facultatibus pupillorum pessime  
consuli arbitrabatur, cuius rei exempla et casus specialiores  
in libro supra laudato, *das grüne Buch*, fol. 108. et 401. me-  
morantur, denuo Principem adiit, conquerens de hisce li-  
tibus, ac de tutorum pertinacia, et vehementer petens, vt  
huic vitio remedium adhiberetur. Eam relationem reperies  
in eodem libro fol. 127. Satisfecit huic Senatus petito  
Ioannes Georgius I. Elector, mandato in hunc finem emisso  
d. vi. April. an. CIDICLII., — quod insertum est Ordinationi  
tutelari in Statutis nostris p. 265. — diserte constituens, vt  
omnes ac singuli tutores, qui tutelis minorum Senatui sub-  
iectorum fungerentur, siue ipsi a iurisdictione magistratus  
oppidani exempti essent, siue minus, intuitu tutelae susce-  
ptae hanc Ordinationem tutelarem, et Collegii ad hanc





rem deputati forum tanquam suum et proprium sequerentur. Potuissimus etiam specialiora quaedam afferre de huius Ordinationis obligatione: sed ea referuabimus ad paragraphum, ubi agemus de vi ac potestate collegii tutelaris Lipsiensis, et diligenter ostendemus, quinam sint, qui hac lege speciali obstringantur, et quatenus eorum quisque obstringatur. Superest adhuc, ut ultimo loco mentionem faciamus Rescripti cuiusdam Ioanni Georgii II. Electoris d. d. r. Nouembr. an. CIDICLXIV. quod in Statutis Lipsiensibus in fine p. 555. insertum legitur: quod pertinet ad confirmandam atque illustrandam §phum XVI. Ordinationis prioris, ubi de constituendis rei tutelaris praefectis, et fundando peculiari Deputatorum collegio sermo est: qua de re inferius plura dicendi locus erit.

## SECTIO II.

### DE COLLEGIO TUTELARI LIPSIAE CONSTITUTO.

#### *Vormundschafts-Stube.*

#### MEMBRVM I.

#### *De Historia huius iudicii.*

#### §. VII.

#### *Suprema Magistratum tutela.*

Curam constituendorum ac confirmandorum tutorum apud Romanos neque iurisdictionis neque imperii fuisse, sed



sed ei soli competiſſe, cui nominatim hoc dederat vel lex, vel SCtum, vel Princeps <sup>a)</sup>, inter omnes conſtat. Sed mutata iudiciorum forma et indole, translatisque ad iurisdictionem ordinariam, quae olim extraordinariae fuiſſent, etiam tutela iurisdictioni inferiori coepit cohaerere, ita ut magistratibus <sup>b)</sup>, propter officium ipſorum, non interueniente demum ſpeciali conſeſſione, tutela ſubiectorum pupillorum ſuprema committeretur. Hanc Magiſtratuum ſupremam tutelam ſunt qui putent, cum illa honoraria Romanorum aequiparandam eſſe <sup>c)</sup>. Quorum error nobis coarguendus eſt. Nam et honoraria Romanorum tutela inter priuatos modo conſtituebatur, neque ut hodierna magiſtratuum ſuprema tutela, quae muneri eorum ex officio annexa cohaeret, ut iurisdictionis exercebatur: et mores hodierni magiſtratibus non meram tantum inſpectionem, quam ſolam habebant Romanorum honorarii tutores, quippe ab omni bonorum adminiſtrandorum cura exempti, ſed etiam ipſam curam rerum pupillarum, et eam praecipuam, *Ober-Vormundſchaft*, tribuunt, quam illi deinde iis, qui ſub nomine tutorum proprie veniunt, quibus tanquam vicariis utuntur, in ſingulorum pupillorum rebus

C 3

exer-

a) l. 6. §. 2. D. de tutelis.

b) cf. IO. GOTTL. HEINECCIUS Diſſ. de ſuprema principum magiſtratuumque tutela.

c) LEYSER. de tutela honoraria. Spec. 329.





exercendam committunt. Sed cum in tanta minorum multitudine magistratus, qui cura ciuitatum totarum et regimine onerati essent, non possent praeesse singulis tutoribus, ac speciatim consulere vniuscuiusque pupilli facultatibus: viros nonnullos, plerumque Senatorios illos, qui magistratus nomine rei tutelarum curam agerent, in ciuitatibus maioribus designare coeperunt, qui quasi delegatam in pupillos atque tutores iurisdictionem exercerent. Horum collegia pro locorum diuersitate aliter atque aliter appellantur: *Pupillen-Collegien*; *Tutelar - Rätthe*; *Vormundschafft - Deputationen*; *Wayfen - Aemter*; *Vormundschafft - Stuben*; Per multa eiusmodi collegia reperimus in Germania nostra esse constituta <sup>d)</sup>: quorum hic singulorum percensendorum non videtur locus esse.

### §. VIII.

#### *Origo collegii tutelarum Lipsiensis.*

Quod autem in vrbe Lipsia collegium tutelare floret, eius originem, quatenus per subsidiarum ampliorum defectum nobis innotescere potuit, commemorabimus. Antiquissimis temporibus causas omnes tutelares in pleno Senatus confessu peractas esse, res certa et extra omnem dubitationem posita est. At exortis infinitis inter pupillos, eorumque

d) Occurrunt talia collegia tutelaria prouincialia in terris Regis Borussiae, et Wurtembergicis; habemus etiam Norimbergensem, et Gorlicensem municipale, et alia.



rumque tutores libus, et aucta negotiorum multitudine, rem vtilissimam et maxime necessariam fore arbitrabantur maiores nostri, qui totius ciuitatis et pupillorum inprimis commodo consulere studebant, si peculiare constitueretur collegium, cuius assessores, viri Senatorii, ab omni reliquo ciuitatis et politicae regimine exempti hoc vnum curarent, vt minorum bonis prospicerent, ac tutorum iniquitates coererent. Id collegium plerumque nominari solet, *die Leipziger Vormundschaffts-Stube*. Cuius prima exordia quod atinet, ea licet ex ipsa Ordinatione tutelari cognoscere: In eius enim §pho XVI. haec verba sunt:

*Damit aber dies alles, um so viel mehr zu Werck gestellet, - - - so wollen wir der Rath sonderliche Personen hierzu deputiren, und denenselben einen eigenen Schreiber zuordnen, welche hinführo die Vormundschaffts-Sachen verwalten und expediren, und derselben mit treuen gebührenden Fleiß abwarten sollen etc.*

Illud, *so wollen wir*, satis arguit, Deputatos et Consiliarios tutelares non iam constitutos, sed constituendos demum intelligi debere. Vnde facile colligitur, originem huius collegii non posse antiquiorem esse anno 1710 quippe quo primum haec Ordinatio consignata est. Sed etiam aliud clarius indicium ad nostri aevi memoriam perductum exstat, in libris Senatus memorialibus: vbi ad annum 1710 fit mentio eorum trium Senatorum, qui primi praepositi rei tutelaris fuerunt, *Vormundschaffts-Deputirte:*  
 quorum



quorum etiam nomina haec adscripta sunt, Leonhardus Ohlhaff, Veit Sieberus, et Melchior Brauerus. Atque inde ab eo tempore stetit, et ad nostram usque aetatem floruit collegium hoc tutelare.

## MEMBRVM II.

*De Indole atque natura collegii tutelarıs.*

## §. IX.

*Deputatorum numerus.*

Commemoratis, quae de origine huius collegii commemoranda essent, ad eius naturam ac indolem indagandam progrediamur necesse est. Et quidem primo loco accedamus ad describendas personas, quibus id collegium constat, et videamus, quid legibus aut moribus introductum sit circa illarum numerum, qualitatem, constitutionem, congregationes. De numero primum nobis dicendum est. Hunc certum in Ordinatione tutelari definitum haud inuenias. Loquitur enim ea generatim de constituendis ad hoc negotium personis peculiaribus nonnullis, *Vormundschafts-Deputirte*, et de adiungendo iis vno ex scribis Senatus, qui vices Actuarii gerat, et quem mores *den Ober-Vormundschafts-Schreiber* appellare solent. En verba ipsa:

§. XVI. --- *So wollen wir der Rath sonderliche Personen hierzu deputiren, und denselben einen eignen Schreiber zuordnen, -- etc.*

Quod



Quod repetitum ac denuo confirmatum est in *der Confirmation und Erläuterung des XVI. §. der Vormundschaffts-Ordnung*; vbi leguntur haec:

*So haben wir der Rath sonderliche Personen aus unsern Mittel hierzu deputiret, und denenselben einen eigenen Schreiber oder Actuarium zugeordnet, welcher hinführo die Vormundschaffts-Sachen verwalten etc.*

Ex iis, quae priori §pho commemorauimus de primis praefectis rei tutelari apparet, foundationis tempore numerum eorum, qui Deputatorum munere fungebantur, fuisse ternarium. Sed hunc numerum insequentibus temporibus nonnunquam variasse, ita vt mox plures, mox pauciores huic collegio praeessent, in libris memorialibus deprehenditur. Hodie consuetudinis est, vt, nisi quis casus impediatur, quatuor constituentur Senatores, quibus rei tutelaris cura demandatur: quorum primus ordine gerit vices Praefidis. Ceterum ex multorum annorum obseruantia mos invaluit, vt vnoquoque anno recipiatur inter huius Collegii Deputatos is, qui eo anno *Expraetor* est, et vt duo inter illos esse debeant *Aediles*. Ita hoc anno, quo ista scribimus, Collegii tutelaris Deputati sunt hi quatuor, viri Senatorii, dignitate et meritis Amplissimi, D. *Carolus Gottlob Koch*; *Ge. Fridericus Treitschke*, *Aedilis*. *Christianus Gottlob Frege*, *Aedilis*. D. *Io. Tobias Richter*, *Expraetor*. Collegio autem ab *Aetis* est Vir nobilissimus *Chr. Godofredus Graefius*. Nouum adhuc membrum quoddam sub titulo Registratoris et Calculatoris

D

addit





addit recentiorum temporum consuetudo: nam Ordinatio plane de hoc fileat. Eius autem constituendi necessitatem videtur sine dubio attulisse caussarum tutelarium in dies crescens multitudo. Praeterea Vicomagistris in vrbe ac suburbiis, *denen Viertels-Meistern und Gassen-Meistern*, non tanquam huius collegii membris quibusdam, sed vt rerum publicarum et poliritiae inspectoribus intermediis nonnulla rei tutelaris cura iniuncta est, haftenus, vt eorum quisque pro vrbis parte, sibi attributa diligenter inquirere debeat, si qui sint pupilli, qui nondum tutores habeant: vt eos collegio indicare, isque defectus statim suppleri possit. Id quod constitutum est

*§pho XVIII. Ordin. Auch sollen die Viertels-Meister in der Stadt, desgleichen die Gassenmeister in denen Vorstädten neben den Verordneten zu denen Vormundschafts-Sachen fleißige Nachfrage und Nachforschung thun, ob in ihren Quartiren und Gemeinen etwa unmündige Kinder vorhanden, welche mit Vormündern noch nicht versehen seyn möchten, solches den zu den Vormundschafts-Sachen Deputirten vermelden und anzeigen, damit dieselben nachmahls bevormündiget etc.*

### §. X.

#### *Qualitas Deputatorum.*

Qualitas personarum huius collegii cernitur, praeterequam in peritia et fide, maxime in Senatoria dignitate.

Hanc



Hanc enim et lex, et perpetua omnium annorum consuetudo requirit. Nam etsi nusquam in Ordinatione tutelari ipsa constitutum legimus, vt huius collegii membra sint viri Senatorii: tamen eam dignitatem esse in consiliario tutelari maxime necessariam, patet non solum ex Mandato Io. Georgii I. Electoris, quod Ordinationi adiectum est in Statutis et Priuilegiis Lipsiensibus p. 265. vbi dicitur:

*von ihren Deputirten, so sie aus dero Mittel alle Jahre dazu verordnen und verpflichten;*

Sed etiam *aus der Confirmation und Erläuterung des XVI. §. der Vormundschaffts-Ordnung*, cuius verba p. 555. statutorum nostrorum haec sunt:

*So haben wir der Rath sonderliche Personen aus unsern Mittel hierzu deputiret;*

Illud enim *aus dero Mittel, aus unsern Mittel* de ordine Senatorio omnino debet intelligi. Ceterum qui fere in omnibus ciuitatis nostrae collegiis Senatoriis obseruatur mos, vt membra eorum aequis partibus constituantur ex Doctoribus Iuris, et ex Mercatoribus: is etiam in hoc tutelarium Deputatorum collegio solet obtinere. Quae autem diximus, ea nimirum de primariis duntaxat huius collegii membris debent accipi, non etiam de his, quae iis adiungi solent, de Actuario et Registratore. Neuter enim horum, etsi eos ceteroquin iurisperitos esse oportet, senatoria dignitate conspiciuntur.





## §. XI.

*Constitutio Deputatorum.*

Munus primariorum huius collegii membrorum annuum est. In vna enim quaque Senatus electione, *Rathswahl* ---, quae anniuersaria est, noui quatuor viri Senatorii sufficiuntur in locum eorum, qui priore anno rem tutelarem curarunt. Eam consuetudinem tangit Mandatum Ioanni Georgii I. ad ordinationem tutelarem, p. 265.

*Vor ihren Deputirten, so sie aus dero Mittel alle Jahre dazu verordnen und verpflichten etc.*

Nonnunquam tamen fieri solet, vt his, qui munere annuo functi sunt, id etiam in annum sequentem prorogetur. Actuarii autem et Registratoris officium perpetuum est, et in iisdem personis acquiescit, quamdiu hae aut volunt aut possunt impositas partes sustinere.

## §. XII.

*Conuentus Deputatorum.*

De conuentibus ac congregationibus huius iudicii quoque breuiter dicamus. Non enim singulis diebus, nec rursus, vt alibi fieri solet, vbi sunt collegia talia constituta, quibusdam stans ac definitis per annum terminis, conuenire solent Deputati; sed diebus alternis, et quidem iis, quibus mercatus non est, *die keine Markttage sind*, --- Lunae nimirum, Mercurii et Veneris: quibus diebus tempore ante-  
meri-



meridiano conueniunt. A qua regula eximuntur hebdomates nundinarum solennium, et eae, in quibus Electoris Curia provincialis suprema confedit: *in denen Mess- und Oberhofgerichts-Wochen.* Eo enim temporis spatio clausum est hoc iudicium. Quibus de rebus, etsi nihil in Ordinatione tutelari definitum est, moribus tamen et consuetudine ita obseruantur, ex quo primum illa peculiaris Instructio antiqua de huius collegii fundatione ac constitutione perscripta et in usum deducta est.

### MEMBRVM III.

*De vi atque potestate huius collegii.*

#### §. XIII.

*Personae, quas obstringit.*

Omnis quidem rerum tutelarium intra ciuitatis nostrae fines directio ad hocce iudicium pertinet. Sed cum sit iudicium, delegatam quod habet a Senatu iurisdictionem; Senatus autem nonnulla eius iurisdictionis capita sibi reserua-  
uit: exinde consequitur, restrictam quodammodo esse huius collegii vim atque potestatem, non modo, quantum ad personas pupillorum ac tutorum, sed etiam quantum ad causas, quae sunt expediendae. Non enim ei licet quibusvis aut personis imperare, aut negotiis sese immiscere. Pu-  
pillorum personas, quod attinet, facile intelligitur, eos tantum huic subesse iudicio, qui vel bonorum immobilium,

*i. Pupilli.*





vel domicilii, vel originis causa magistratui oppidano, eius-  
que iurisdictioni sunt immediate subiecti. Vnde §. II. Or-  
dinat. tutel. dicitur: *ein Bürger oder Einwohner allhier*: et Io.  
Georg. I. Befehl pag. 265. *hernach der Verwaltung ihrer  
Pfleghbefohlenen Gütere und Vermögen, so unter ihre des Raths  
Jurisdiction immediate gehören.*

Statuta enim, vt a quibus origo atque dispositio hu-  
ius totius collegii dependet, neminem alium nisi subditum  
obligant; Neque vero liberi eorum tantum iudicio huic  
subiunguntur, qui proprie appellantur ciues, *Bürger*; sed etiam  
ciuium clientelarium, inter quos referuntur Galli et Itali,  
qui Lipsiae degunt, omninoque ceterorum omnium incola-  
rum, qui non alia, quam Senatus vrbani iurisdictione te-  
neantur. *Einwohner; Schutzverwandte.* Eorum autem li-  
beris, qui alia tenentur iurisdictione, vt Academicorum,  
Clericorum, Nobilium, Consiliariorum et Officialium Prin-  
cipis dantur et constituuntur in eo foro tutores, quod eo-  
rum quisque immediate sequitur. Ad tutorum personas,  
quod attinet, alia plane res est. Hi enim omnes ac singuli,  
quamuis alium ipsi iudicem agnoscant, si pupillorum Sena-  
tui subditorum tutelam in se susceperint, eius tutelae causa  
debent in hocce concilio sistere, ibique conueniri recte pos-  
sunt. De qua recum ab initio nihil esset constitutum, ea  
definita est postea demum Rescripto ac Mandato Io. Geor-  
gii I. quod in Statutis Lips. p. 265. exstat; de quo Rescri-  
pto iam Sect. I. disseruimus.

2. *Tutores.*



## §. XIV.

*Causae, quas tractat.*

In causis vero et negotiis in quibus tractandis atque expediendis hoc versatur iudicium, potestas eius a Senatu, qui eam illi delegavit, variis est limitationibus circumscripta. Sic primo ipsa tutorum constitutio ac confirmatio nihil ad hoc collegium pertinet: utramque enim sibi Senatus reservavit, in cuius pleno consensu, *vor der Raths-Stube* et constituuntur tutores, et confirmantur constituti; §. II. Ordin. tutel.

*Dafs dieselbigen ---- Uns dem Rathe nahmhaft gemacht werden. Soferne dann befunden wird, dafs er oder dieselbigen zu diesen Ante tüchtig, so wollen Wir sie zu solcher Vormundschaft bestätigen; et §. III. ---- So sollen seine hinterlassene Wittve, - - - schuldig seyn, Uns dem Rathe etzliche Personen zu benennen und vorzuschlagen;*

Huc etiam pertinet ille actus, in pleno Senatorum consensu peragendus, quo admonentur tutores Iuramenti civici, quo olim iam fuerint obstricti, *Bürger-Eid*; eaque omnia, quae iis in Senatus conspectu, *vor der Raths-Stube*, a polygrapho, ordine inferiori, *dem Unterstadt-Schreiber*, praeleguntur stipulata manu, in fidem iuramenti promittere debent. Instructio Deputat. et Notar. *im Grünen Buch*. fol. 14. et Ordin. tutel. §. IX. *Sollen sie an eines leblichen geschworen Eides Statt,*  
und





und bey den Pflichten, damit sie unserer gnädigsten Herrschafft und Uns verwandt und zugethan seynd mit einem Handschlage gereden, angeloben und zusagen etc.

2)  
habilitas et  
potestas.

Deinde quanquam iniuncta est Deputatis cura examinandi pupillorum vitam ac mores, tutorumque administrationem tutelae, ne vlllo modo negligatur minorum educatio, aut iis damnum inferatur: tamen vltra examen et cognitionem procedere non possunt, vt ipsi aliquid decernant, sed omnem causam debent ad Senatum referre: cuius deinde iudicio statuitur de tutoris habilitate, aut de poena suspecti, ac male tutelam gerentis. §. XXIII. --- *Wo den auch sonst ingemein von den Deputirten gespüret und befunden werden möchte, das iemandes von den Vormündern zu solcher Pflegschafft und Administration nicht tüchtig, und qualificiret wäre, oder seinen Pflögkindern zu Schaden und Nachtheil durch seine Verwahrlosung und Eigennützigkeit übel oder unbillig vorstünde, so soll derselbige Uns dem Rathe angezeigt, fürgestellt, und neben Erstattung etc.*

3)  
apochae datio  
et liberatio.

--- Denique tutela finita, vbi tutor collegio rationes reddidit, et quas res eo vsque in custodia sua habuerat, pupillo in manus tradidit, noluerunt maiores nostri penes collegium facultatem esse dandi apocham tutori, quae dissolveret eius obligationem, ex tutela susceptam: sed haec apocha in pleno Senatorum confessu danda et accipienda erat, secundum Ordinationis tutelaris §. XXX. *Hierauf die Vormündern Vor uns im sitzenden Rathe von ihren gewese-*

men



nen Pflögkindern, der gethanen Rechnung und Bezahlung halben endlich quittiret, der Vormundschaft zu Dank losgezehlet etc.

Nunc autem aliud vsu et obseruantia obtinet: dantur enim et accipiuntur apochae in iudicio tutelari, nisi quod eae confirmantur demum in Senatus pleno confesso, vbi etiam tacita hypotheca, quae pupillis in tutorum facultatibus ac bonis constituta erat, exstinguitur.


--- Postremo in omnibus causis grauioribus, maiorisque momenti negotiis ad Senatum prouocari debet: vtrisque enim et Deputatis, cum tutores satis non faciunt, et <sup>4)</sup> *omnes causae grauiiores.* minoribus, vbi tutorum administratione se laesos damnoque affectos arbitrantur, aditus patet ad plenum Senatum, a quo res et causa cognoscitur atque iudicatur.

Ordin. tut. §. XXXIV. Würde auch den Deputirten in Ver-  
richtung der ihnen aufgetragenen und befohlenen Vormund-  
schafts-Sachen, in einem oder dem andern etwas bedenkli-  
ches und wichtiges fürkommen, oder aber auch sie bey den  
Vormunden den Gehorsam und Folge nicht haben können,  
sollen sie solches vor Uns den Rath weisen, des Handels  
Zustand berichten etc.

E

MEM-





## MEMBRVM IV.

*De officio Deputatorum.*

## §. XV.

*Officia in genere.*

Videndum iam erit, quibus in rebus proprie Deputatorum consistat officium, cum interfit plurimum totius civitatis, eos, qui mature parentibus orbatii sunt, non carere omni omnino educatione ac disciplina, eorumque bona et facultates non ipsorum relinqui arbitrio: si enim id fieret, abundatura mox ciuitas esset effrenibus atque impiis ciuibus, qui rem suam familiarem euerterent, et ad explendas egestates nihil non sceleris auderent: ea de causa maiores nostri certos ac peculiare viros constituendos putauerunt, quibus incumberet hoc officium, vt intra ciuitatis nostrae fines domesticam familiarum conditionem et statum examinarent, pupillos tutoribus destitutos inquirerent, atque hunc defectum, quam primum fieri possit, prohiberent. §. XIII. Ordin. tutel.

*Ob etwan unmündige Kinder vorhanden, welche mit Vormunden noch nicht versehen seyn möchten, solches den zu den Vormundschafts - Sachen Deputirten vermelden, und anzeigen, damit dieselbigen nochmahls bevormündiget, etc.*


Simul



--- Simul autem tutores constituti sunt, exigere ab iis <sup>2)</sup> iudicium tutelare debet, vt Inuentarium conficiant, idque <sup>Inuentarium</sup> <sub>exigerz.</sub> iudicio tradant: quod a Deputatis est in authentico exemplari deponendum, librisque tutelaribus inserendum, vt, quae postea quotannis reddendae sunt administrationis rationes, eae ad illud exigantur, finitaque tutela, quomodo ea gesta sit, et quae aut qualis fuerit bonorum pupillarum substantia, ex illo cognosci queat. Ord. tut. §. XV. ---  
*So sollen die Vormunder solch Inuentarium den Deputirten zu den Vormundschafft-Sachen originaliter überantworten und fürlegen, damit dasselbe den Vormundschafft-Büchern einverleibt und eingeschrieben werden möge.*

--- Rationum a tutoribus quotannis reddendarum exactio specialiter iniuncta est Consiliariis tutelaribus Ord. tutel. §. XXVI. --- <sup>3)</sup> *Ferner so sollen die Deputirten auch von den Vormündern jährlich richtige Rechnung fordern und anhören etc.* Rationes annuas colligere. Quod quoniam fortasse primis temporibus nonnunquam fuit neglectum, vnde incommoda et lites nasci oportebat, repetitum id, et poena pecuniaria sancitum est in Senatus Decreto aliquo, quod exsta *im grünen Buche der Vormundschafft-Stube* fol. 68. Exhibitas rationes Deputati inspicere, atque examinare debent, vt, si quid in iis vitii fuerit apprehensum, de eo inter pupillum tutoremque communicari et vitium corrigi possit. Quod si rationes bene dispunctae et pares factae comprobantur, signari a Deputatis debent, E 2 atque





atque libris tutelaribus inferi, vt in posterum, ex orta aliqua, super tutelae administratione, quaestione illinc res cognosci et consilium peti possit. Ord. tut. §. XXVII. *Wann nun solche Rechnungen angehöret, und richtig befunden, oder doch iustificiret werden, so sollen die Deputirten dieselben unterschreiben, und davon einen Extractt den Büchern, so sie zu den Vormundschafts Sachen haben und halten sollen, dem Inventario nach jährlich einverleiben und einschreiben lassen, etc.*

— In elocandis pupillorum pecuniis, adeundi sunt Iudices tutelares: quorum auctoritate non intercedente, si tutores pecuniam pupillarem in vsuras collacant, id suo periculo faciunt, quod amissam restituere coguntur. Ord. Tutel. §. XXII.

*Vnd nachdem wir der Rath uns hierbey erinnern und sonsten berichtet werden, was oftermahls zwischen den Mündlein und Vormündern, welche der Mündlein Geld ausgeliehen haben. — — Damit nun solchen fürfallenden Streit auch Maas und Gewisheit gegeben werden möge, so soll es künftig in solchen Fällen also gehalten werden, daß hinführo die Vormündern, mit Vorwissen und Bedenken der Deputirten ihrer Mündlein Geld bey gewissen und beglaubten Leuten, und so viel möglich auf Versicherung sollen ausleihen und anlegen etc. — — Da aber der Vormund vor sich selbst, und ohne der Deputirten Vorwissen und Bedenken seines Mündlein Geld ausgeliehen wolle etc.*

§. XVI.




## §. XVI.

*S i l e n t i u m.*

Denique illud inter praecipua Deputatorum officia est, quod obligati sunt in silentium circa res et facultates pupillorum. Iniuncta obligatio haec est omnibus Collegii tutelaris membris et primariis et secundariis, in Ordinatione §. XVII. — *Es sollen auch die Deputirten beneben den schreiber an Eides statt Zusagen und geloben, das sie der Minderjährigen Sachen, Inventaria vnd Vermoegen vertraulich und verschwiegen behalten, und andern Leuten, denen es zu wissen nicht von nöthen, davon nichts offenbaren wollen etc.* — Cuius quidem rei maximam utilitatem et necessitatem esse arbitrati, Ordinationis tutelaris auctores minime dubitarunt constituere, vt etiam a tutoribus, exigeretur silentii de rebus pupillaribus promissio, quae vim et sanctitatem iurisiurandi haberet; *an Eides statt Zusagen und geloben.*

Haec tota decima septima paragraphus in Ordinatione typis impressa legitur plane iisdem verbis, quibus in illa veteri Deputatorum ac Notariorum Instructione, quae in libris senatus memorialibus conscripta exstat: nisi quod in vna vocula est aberratum. Nam pro eo, quod Instructio habet, fol. 9. im grünen Bucke, „das sie der Minderjährigen Sachen“ — vitiosè legitur in Ordinatione, „das sie der





*Minderjährigen* Scheu. Videatur hic error a librarii negligentia profectus, qui omiſſa littera — *a.* et transformata *n* in *u* hanc vocem ita corripit. Quod magis adhuc probant verba huic §pho in margine adiecta: „*Die Deputirten benebst den Schreiber müssen an Eides statt angefohen der Minderjährigen Sachen verschwiegen zu halten.*“

## MEMBRVM V.

*De Emolumentis Deputatorum.*

## §. XVII.

*Immunitas ab obligatione.*

Deputati cum sint viri senatoria dignitate conspicui, facile intelligere possumus, eos propter hanc variis iuribus ac commodis frui. At de his hoc loco non agitur. Ea vero iura et emolumenta singularia, quae illis competunt, non tanquam senatoribus, sed tanquam Iudicii tutelaris assessoribus et collegis, duo maxime sunt, quorum in Ordinatione tutelari fit mentio, vnum spectans ad eorum securitatem, alterum ad operae ac laboris compensationem. Ad securitatem eorum quod atinet, quoniam pro iis semper militat bonae mentis et integritatis praesumptio: Ordin. tutel. §. XXV. in fine: — So sollen auch *unsere zu denen Vormundschafts Sachen verordnete*, dieweil vor sie zu vermuthen, daß sie *wegen Ausleihung des unmündigen Geldes, oder*  
sonst



sonst auch wissentlich und fürsetzlich nichts fährliches gerathen und gehandelt, *weder den Vormündern, noch auch dem Mündlein hierum Antwort zu geben, oder disfalls ichtwas zu gelten und zu erstatten verpflichtet seyn*; — Si quod consilium tutoribus in administranda tutela contulerunt, quod praeter spem et opinionem cesserit in minoris fraudem; et rerum pupillarium detrimentum: ipsi nihil ex eo damni sibi contrahunt, nec ulla obligatione deincti sunt, ut pupillum praestent indemnem. §. XXV. cit. Locum tamen habitura esset, illa in restitutionem iacturae obligatio, si probari posset dolus et culpa lata;

### §. XVIII.

#### *Salarium.*


Emolumentum quo Deputati fruuntur consistit in salario. Est autem ea res quodammodo singularis. Nam quod <sup>e)</sup> iure romano iam fuit introductum ut tutores gratuitam pupillis suis praestarent operam, et sola officii causa tutelae munere fungantur <sup>f)</sup>: id hodie quoque receptum est et moribus obtinet. Id quare maioribus nostris ita placuerit, cum tamen etiam apud nos muneris publici nomine tutela veniat <sup>g)</sup>, et numeri publico tacita salarii petitio

e) l. 38. ff. de Negot. Gest.; et l. 58. d. adm. et per. tut.

f) MENKENII Diss. de salario tutorum et curatorum.

g) STRYK VI. mod. Pand. XXVI. I. 2. —




 tio annexa esse videatur <sup>h)</sup>), nunc non disputamus: Certe non videtur salarii tutoribus conferendi mos aduersari naturae atque indoli tutelarum, cum et in aliis negotiis per se gratuitis, vt in mutuo et deposito, salarii permitti sciamus, et ciuitatum nonnullarum ac prouinciarum leges ac statuta disertis verbis imponant salarii tutoribus conferendi necessitatem; vt Ius Hamburgense <sup>i)</sup> statutarium; Ius Bauaricum, <sup>k)</sup> Reformat. Norimbergensis; <sup>l)</sup> Pristini Germanorum iura legitimis tutoribus, qui tamen iidem erant proximi pupillorum heredes, in compensationem oneris tutelarum ferendi vsumfructum bonorum pupillarium relinquare solebant: quanto aequius est tutoribus extraneis, inter quos et pupillos nullum intercedit necessitudinis aut sanguinis vinculum, conferri aliquod praemium laboris atque emolumentum! sequitur sententiam hanc Illustris Ordo Ictorum Lipsiensium modicum salarium concedens tutoribus, ad indemnitate operae ac temporis tutelae impensi. Cum igitur de salario inferioribus tutoribus conferendo nihil maiores nostri constituerint: Singulare quoddam est, quod supremis tutoribus, qui sunt Magistratus ac Deputati Collegii tutelarum, emolumentum quoddam ac laboris praemium

h) Leyseri Med. Spec. 368. I. 3.

i) III. 6. 20. —

k) V. 5. —

l) VII. 13.



mium largiendum esse iudicauerunt. Eius praemii summam certam definitamque in lege scripta haud reperimus: in libro autem memoriali, supra laudato, fol. II. singulis Deputatis aequè ut Actuarius annuam quinquagenorum florenorum pensionem reperimus collatam fuisse. Neque vero insequentium annorum mores in ea summa constiterunt, sed aucta est ea, ita ut nostris temporibus per singula trimestria, (Quatember,) quadragenorum florenorum honorarium tribui soleat. Ad quos sumtus ferendos, ne id onus esset vni aerario senatus iniunctum, ex vniuscuiusque pupilli bonis aliquam pecuniae portionem detrahere atque in communem conicere massam placuit, vnde salaria haec soluerentur. Quantam pecuniae portionem detrahere liceret non est de terminatam in Ordinatio tutelae. De modica tantum pecuniae particula detrahenda loquitur Ordinatio tutelae §phus XVI. — *denen wir auch zur Ergoetzlichkeit ihrer Mühe und Versäumnis eine ziemliche Besoldung verordnen, und uns ferner vergleichen, und nachmahftig machen wollen, was etwa die Mündlein nach Gelegenheit des Vermögens, von Hundert, jedoch ein leidliches und traegliches dazu contribuiren möchten.*

Sed in Confirm. und Erläut. des XVI. §. der Vormundschafts. Ordnung, in statutorum Lipsiensium Volumine p. 555. definitum est, ut in quoque annuo rationum reddendarum

F

examine






examine a singulis centenis quadrans floreni; in ultimo autem rationum examine, quod finita demum tutela suscipitur, dimidia floreni pars deducatur, eaque pecunia in commune senatus aerarium, *in die Einnahme Stube*, conferatur, ex quo sumtus circa tutelaris collegii constitutionem obuenientes possint expendi: — *Denen wir auch zur Ergoetzlichkeit für ihre Mühe und Versäumnis eine ziemliche Be-soldung etc.* Illud etiam est monendum, hanc deductionem fieri non solum ex pecunia pupillorum numerata et deposita, sed etiam ex ea, quae militat, et omnino ex integra hereditatis vniuersae substantia, ex bonis pupilli mobilibus aequae ac ex immobilibus: nisi quod excepta sunt vestimenta et utensilia, secundum Resolutionem Senatus d. VI. Iul. an. CIDICXCVI. —

§. XIIX.

*C o n c l u s i o.*

Atque hic nobis nunc quidem ob temporis angustias, quibus inclusa erat nostra qualiscunque industria, visum est subsistendum esse. Plura debuissent fortasse de singulis capitibus disputari: sed facile nos excusabit non solum ipsa iuuenilis ingenii ac virium nostrarum tenuitas, sed etiam necessariorum ad eam rem subsidiorum inopia. Transactionem autem ipsius municipalis iuris, quod circa tutelae est, ideo hic omisimus, quod altera disputationis parte,




 parte, quae breui fortasse hanc excipiet, rerum filum hocce libello inceptum pertexturi sumus. Voluimus enim hunc libellum praeparationem duntaxat et viae munitionem esse ad maiora et grauiora huius doctrinae capita exponenda. Quae igitur circa varia ipsius tutelae genera et circaturorum constitutionem, eorumque officia et rerum administrationem, dicenda sunt, ea *Sectio Tertia* continebit, quae proximam prodeundi opportunitatem exspectat. Sed antequam finem huic libello imponimus aequos ac peritos harum rerum arbitros, quorum iudicio submittimus operam nostram, rogatos maxime volumus, vt nobis veniam dent, quod neque a verborum elegantia, neque a rerum vbertate quidquam praestare potuimus, et vt, sicubi nos errasse deprehenderit, corrigere nos admonendo et verum docendo, quam affligere vituperando malint. Quod quidem si fuerimus consecuti, praeclare nobis cum actum putabimus, et satis ampla suscepti laboris praemia tulisse nobis videbimur.

---

COROL.



X 297 8710  
01 F 8 F 62 X

Yc 4950 OR

## COROLLARIA.

*Iuris scientiae studium sine philosophia nullum est.*

*Praeter officia erga Deum, homines et se ipsum, datur quarta  
adhuc species officiorum erga creaturas inferiores.*

*Nulla eruditionis pars potest sine eiusdem historia accurate  
cognosci.*


*Transitus ad diuersam religionem, etsi in Germania toleratam,  
iusta est repudii causa.*

*In poenis quoque obtinet respectus personarum.*

1018







*N. 89, 5.*

Yc  
4950

# I V S S T A T V T A R I V M L I P S I E N S E

CIRCA

## T V T E L A M A E T A T I S .



DISSERTATIO PRIMA.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO

## S Y M M I S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S

CONSEQVENDIS

DIE XXII. APR. AN. C I D I O C C L X X I X .

PRO P O N I T

### C A R O L V S G O D O F R E D V S W O L F L I P S I E N S I S .

I . V . B A C C . E T A D V . S A X . I M M A T R .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .